PIO 8. PONTIFICI MAX. DIVINI COMMUNICATIONE MYSTERII IN FIDE D. N. JESU POST...

Luigi Crisosostomo Ferrucci

PIO . VIIII . PONTIFICI . MAX.

DIVINI . COMMUNICATIONE . MYSTERII

IN . FIDE . D. N. JESU

POST . DECENNALIA . V.

SACRIS . FACIENDO . RURSUS . AUSPICANTI

IN . DIEM . F. F. III . IDUS . APRILIS

A . M . DCCC . LXVIIII

7.

544

Elegia

Maxima templorum species Capitolia subter
    Edita, sacratis apta ministeriis,
Ex humili tot opum, atque operum producta labore
    In caelum vasta mole, tribusque tholis,
Altius est hodie tendendum vertice trino,
    Dum PIVS it NONVS se renovare sacris,
Et post lustra decem, niveis operatur Azymis
    Ante altare DEI pontificale manu.
Nempe Sacerdotum Summus testudine templi
    Major adhuc summa fertur ad astra palam.
Spes constans in Amore, Fides immota periclis
    Dant vim, dant alas, auxiliumque Seni.
Ille volat sua trans fastigia, Janitor aulae
    Quo PETRVS Superûm solvit, itemque ligat:
Solvit ab admissis, nitide quos poenitet horum,
    Corde obduratos illaqueatque reos.
Hic stupet: adveniens a Sede novissimus Heres
    Adsertor Fidei, talia voce refert:
— Ecce ego qui longa prece tardans fulmina Caeli
    Per sacra sustinui quottidiana minas,
Accedo supplex coram, pro regibus ut sit,
    Ac populis Numen propitiare DEI.

Tu, PETRE! Christiadûm tu princeps, esto sequester,
    Irrita ne voti pars cadat ulla mei. —
PETRUS ad haec: — Equidem meruisti ardore fideli.
    Ast ubinam mites sunt, humilesque metu?
Jamque calix irae, teterrimus inter amaros,
    Cognato mortis cuncta sopore replet.
Da mihi quos humiles et mente, et pectore sistam
    Ante DEVM: voti tunc tibi compos eris. —
Longe audita loquor: voluique reponere versu
    Verba repercussis quae dedit ara sonis.
Ergo carere humili sensu dat habere virorum
    Omne genus, quod spem culminis intus alat,
Ambitionis, et invidiae sub flatibus, ira
    Inter anhelantes conjiciente facem.
Interea rixis miscentur cuncta protervis:
    Pelle sub humana circumeuntque lupi.
Defecere canes: custodum nomine gaudent
    Qui se, non agnos lacte juvare velint.
Nec de velleribus succrescere vellera tonsis,
    Ut fiant nudae, jam patiuntur, oves.
Septo interdicunt etiam, miserabile dictu!
    Ut nulla intersit lucta, cadatque pecus:
Quod simul ac periit, res jure putabitur acta;
    Nomen enim juris vis potioris habet.
Regula facta pii jactura novissima sensus
    Instruit armatis omnia militibus.
Nil nisi clara deest tuba, sustentatus ut horror
    Mucronum Soli desinat esse jocus;
Longa sit et belli meditatio denique, rerum
    Nunquam alias tanta clade recepta quies.
Quis neget, oppositas pugnae praeludere gentes,
    Mellitum tecto felle sub eloquium?
Nec modns usuris fieret, nisi bella juberent
    Justitiam, indicta sobrietate lucris.
Iurgia sunt infra: DEVS at speculatur ab alto
    Quae devota sibi pars, vel iniqua fuat.
Verba sonant longe diversa doloris, et irae.
    Hi sibi confidunt, missilibusque suis:

His petere est palmam statuendo vota per aras,
Ipsa Sacerdotum convalitura prece.
Quod nisi det Môses, quem non dant arma, favorem
Ad caelum tendens brachia nota Deo,
Exitus infelix truculenta patrata sequetur.
Instrumenta necis mille parantur enim,
Instrumenta super vigilat sed adacta librando
Rex Superûm custos nominis ipse sui,
(Quod patet exemplis) idem et gravis ultor honoris,
Caedibus immensis deficiente loco.
Esse propheta malis jam jam praesentibus aevi
Quisque potest. Auster noscat adesse Devm;
Se substernat Ei: nec desit ab arce Sacerdos
Imploraturus Numinis Ejus opem;
Ut sit spes rebus bene gestis, Relligione,
Post opus hoc, morem continuante pium.
Summe Pater, qui tanta vides, qui talia curas,
Antistes pacis (quae stat amore Crucis)
Quam par esset, adhuc non exaudite, tubarum
Terribiles sonitus inter, et arma virûm,
Haec tua magna, decem post quinquennalia, lux est,
Qua potes Italiae mentem adhibere piam
Inter sacra Dei: positis pax fiat ut armis,
Aut, si fata ferunt, bella secunda cadant;
Ut sit libertas ea rursus, quam dedit Orbi
Christvs caelestis gloria, lausque Patris;
Vivus amor fratrum Christvs, quem concipit omnem
Hostia prae manibus nunc, Pie None, tuis. —

Alois. Chrysostomus Ferruccius